

~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

D. O. M. A.

T H E S E S

DE INCARNATIONE FILII DEI.

MODERATORE

REVERENDO & CLARIS-

SIMO VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO

Volckmaro S. S. Theologiae Doctore,

ac Professore Publico

CONTRA CHRISTOMACHOS

Ad Disputationem decimam in Collegio studiosorum
Theologiae privato propositae

à

IOHANNE RODENBURGIO

Antuuerpiano,

RESPONDENTE

M. ENGELBERTO ENGELS

Marcodurano.

XIII. Decembris, Anni cl. Is. VC.

W I T E B E R G Æ

Literis Wolfgangi Meisneri.

CLARISSIMO VIRO,
REVERENDA DIGNI-
TATE, MULTIPLICI RERUM
usu ac singulari quadam

DEXTERITATE
PRÆCELLENTI,
D. Polycarpo Lysero S. S.
THEOLOGICÆ D.

*Ecclesiastæ in Aula Electorali Saxonie
dignissimo, inibiq̃*

DE ECCLESIA PVRIORI
publicè privatimq̃, benè merenti s

*Domino ac Præceptoris suo piè observan-
tèrque colendo.*

D. D. D.

Iohannes Rodenburgius
Antvyerpianus.

DE INCARNATIONE FILII DEI.

THESIS I.



Aserta & vindicata, superiori disputatione, Filij Dei Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi Divinitate, quæ ipsi essentialiter cõmunis cum ceteris τρισάγισ τριάδ personis intercedit; subsequenter nunc ejusdem benedictam incarnationem contra insanos furentium hæreticorum insultus defensandam pro virium tenuitate Deo benè juvante suscipimus.

ἑκφορμῆ.

2. Cum enim probè nosset perditissimus, juratissimusque generis humani hostis, per humanam in CHRISTO Redemptore naturam omnia divinæ benignitatis beneficia irriguo ductu, & quasi perpetuo fluxu largiter in nos derivari; hunc adeò uberri- mum salutis nostræ canalem foetidissimo sectariorum cœro nobis obstruere subinde molitus est, excitatis fanaticis, qui humanæ naturæ tum veritatem, tum integritatem oppugnarent, ex una parte; ex altera vicissim, qui ejusce cum divinitate τῶ λόγῳ hypostaticam unionem monstrosè impeterent.

3. Hinc eorum extirpère deliria, qui vel Christum veram carnem ex Virgine assumptam habuisse pernegarent; vel Christi corpus ex substantia Patris in uterum virginis cœlitus delatum blaterarent; vel etiam

iam humanitatē Christi post ascensionem, nō esse creaturalem blasphemis solœcismis contenderent, quorum in censu habentur Anabaptistæ, Schvvenckfeldius, Servetus, ipsorumque complices alij, hoc tempore; prioribus autem seculis Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, cæteraq; Docetarum φάντασμα comminiscientium phantastica colluvies.

Lib. 4. c. pcc
nult. Chemnitius in
de duabus
naturis c. 3.
p. 20.

4. A quibus parum abfuisse viderur Iustinianus, si Evagrio credimus, qui edicto sancto corpus Christi etiam ante passionem ἀνεπίδεκτον φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν pronuntiavit.

5. His ita adversus veritatem carnis Christi insurgentibus non defuerunt, qui integritatem ejusdem impugnantes, fingerent in humana Christi natura loco mentis seu animæ rationalis, divinam fuisse naturā, ac proinde unicam tantummodo scientiam, voluntatem & operationem in Christo extitisse; quorum in numero Apollinaristæ fuerunt & Monotheletæ, qui cum unicam Christi hypostasim contra Nestorium, & duas distinctas naturas contra Eutychetem confiterentur, vires tamen seu facultates utriusque naturæ easdem existimantes, essentialium in Christi naturis proprietatum differentiam sustulerunt.

ἡ φάρεσις τῶν μὴ ζητημένων.

6. Contra hos autem cum naturarū hypostaticam in CHRISTO unionem asserimus, non ita Filio Dei unitum esse Filium hominis disputamus, ac si non tam substantialiter communicando hypostasim, quam accidentaliter solummodo utcunque ipsi assistat, ut
quidem

quidem illi voluisse leguntur: nimirum vel secundum habitationem tantum, quasi VERBUM in CHRISTO homine, tanquam in suo templo duntaxat habitavit.

7. Id enim alijs etiam sanctis hominibus convenire scriptura testis est 1. Corinth. 6. vers. 19. item 1. Corinth. 3. vers. 16. quibus in locis Deum in sanctis, tanquam in templis habitare ^{φύσως} expressum habetur.

8. Neque etiam per unionem voluntatis & dilectionis tantum, quia videlicet Filius ille hominis conjunctissimus semper divinæ voluntati vixerit: Quod inter cæteros Theodorus Mopsvestanus magnæ alicujus dignitatis instar Christo tributum volebat; ut quemadmodum vir & mulier duæ sunt personæ, & tamen dicuntur una caro in Scripturis, propter copulam conjugalem: Sic item Filius Dei & Filius hominis duæ sint personæ; & tamen dicantur unus Christus, propter Spiritualem videlicet conjunctionem.

9. Idipsum enim clarissimè non ijs tantum qui legitimo thoro copulantur, sed & illis qui illegitimo Vers. 16. miscentur, prædicto loco adscribitur.

10. Neque item secundum operationem tantum, quia CHRISTUS homo instrumentum qualecunque fuerit, quo VERBUM in edendis miraculis, alijsque admirandis operibus uteretur. Nam quod per homines sanctos, ut per instrumenta Deus operetur, Rom. 15. vers. 18. & 1. Corinth. 12. vers. 6. largissimè à scriptura condonatur.

11. Nec denique secundum aliqualem participationem, qua verbum illi homini nomen & dignitatem suam

suam quadantenus impertierit, ut nimirum Deus, Deique Filius vocaretur, & ab omnibus adoraretur, eo ferè modo, quo imagines sanctorum unà cum ijs, quorum nominibus inscriptæ sunt, ac propter eosdem à Papiculis honorantur atque adorantur.

12. Quod enim sancti homines Dei Filij sint, imò etiam dij quidam per gratiæ aut dignitatis alicujus participationem Gal. 4. v. 6. & Psal. 82. v. 6. abundè significatur, atq; ita quæ isti de Christo tanquam eximia magnificè prædicant, cum reliquis sanctis, in quibus illa inveniuntur, ipsi communia fecerint, quorum in gregem ab istis Christus blasphemè detruditur.

13. Atqui longè aliter Christum Deum Deique Filium esse, quam nos simus, certissimū est; quorsum .n. tanquā magnū aliquod pietatis mysterium in Christo jactaret Apostolus. Deum in carne manifestatum esse, siquidem id eo tantum sensu, quo isti, acciperet, atque ita Christum sanctis utrumque adæquatum vellet? quod certè non adeo insigne, nec tantum, aut tam magnum pietatis mysterium agnosceremus,

1. Tim. 3.
vers. 16.

τὸ ζυρούμενον.

14. Quæstio itaq; hinc nobis emergit hujusmodi: *An videlicet ὁ λόγος veram eamq; integram humanitatem nostra per omnia dempto peccato similem assumpsit, ita, ut ex utraq; natura etiam post unionem salva remanente unica Salvatoris nostri constet ὑπόστασις.*

ἐκθεσις τῶν διδωμένων. 1. τὸ ἡγούμενον.

15. Quando dicimus λόγος humanam assumpsisse naturam, illicò patescit, nec personam à persona, nec personam à natura, nec à natura naturam, sed à persona naturam assumi; atque ita totius Trinitatis incarnatione-

carnatio-

arnationem declinamus, cum nimirum asseramus
essentiam divinam non quidem promiscuè & indeter-
minatè, verum saltem in una sui ὑποστάσει videlicet in
persona τῷ λόγῳ determinatam ac limitatam ἑνωσάμε-
θα.

2. τῷ ἐπομένῳ.

16. Porro autem cum adjicimus *veram ἁπλῆν* *integram, nostraque per omnia similem*, id acceptum vo-
lumus, tum quo ad τὰ συσθετικά τῆς φύσεως, omnem spectri
aut putativæ illusionis suspicionem ab opere redem-
ptionis maximè serio procul relegantes; tum etiam
quo ad τὰ παρεπόμενα τῆς φύσεως, quæ naturæ humanæ essen-
tiam jam constitutam, tamquam propria πάθη imme-
diatè consequuntur, & cum illa convertuntur reci-
procè.

17. Tametsi vero humanæ naturæ principia speci-
ei essentialia tantopere fortassis diversa non sint in
Christo atque in alijs; variant tamen nihilominus ea,
quæ individuantia appellare moris est. Quatenus e-
nim Christus homo simpliciter est, eatenus à nobis
non admodum discrepabit; quatenus vero hic homo
(puta in λόγῳ assumptus, Deoque personaliter unitus)
est; eatenus certè nimium, quantum à nobis distabit,
sicut in sequentibus etiam συζητήσεσι patebit dilucidius.

18. Subdidimus in statu formando *utraq; natura*
etiam post unionem salva remanente; nec enim fingi-
mus cum Eutychete ante unionem duas quidem fuisse
naturas, post unionem vero, quò videlicet personæ
unitas seruetur, unam tantummodo credendam esse
naturam; ac si vel Verbum in carnem mutatum, vel
humana natura in divinitatem absorpta fuerit, vel
etiam denique quasi ex carnis & Verbi naturis inter-
se in

se invicem commixtis & confusis tertiâ quædam ab utriusque indole diversa concreverit.

19. Omnem itaque mutilationem, omne item τῆς φαινομένης δοκίσεως πλασματώδης εἰδωλον, à sanctissimo hujusce unionis mysterio amoliti, utriusque naturæ incorruptam veritatem citra ullam vel imminutionem, vel confusionem, vel exæquationem servamus, sic tamen, ut in contraria Nestorianorum ullorumve ἁρισολύτων castra neutiquam concedamus.

διόρισμός τῶ ζητούμενου.

20. Ideoque τὸ ζητούμενον ita formavimus ut quæremus, an ex utraque natura etiam post unionem supervitite, idque ἀτρέπτως, ἀδιαρέπτως, ἀδιασάπτως, καὶ ἀσυγχύπτως, ut pia vetustas locuta fuit, unica Domini ac Redemptoris nostri Iesu Christi persona constituatur? quam quidem sententiam in sequentibus astruere, contrariam vero destruere brevibus nitemur.

KATA ΣΚΕΥΗ, LOCVS I.

21. Verum cum plura propositi quæsitæ membra sint, singula singulis locis vel classibus expediemus, majoris dexteritatis & evidentia causa. Primum autem verum fuisse hominem, veramque carnem assumpsisse λόγον præmissis hoc generali syllogismo ita ostendamus.

22. In quo omnes veri hominis proprietates, tum essentielles tum accidentales, tam generi quam speciei convenientes reperiuntur, idemet necessario quoque verus homo, veraque humanitate præditus fuerit.

Atqui

Atqui hæc omnia in Christo Salvatore nostro
etiam post unionem reperire licet.

Quocirca consequens erit, verum ipsum homi-
nem esse, (non autem umbratile spectrum ali-
quod, aut hominis quoddam *ὁμοίωμα* tantum:)

Vera item carne terrenâ (non autem coelitus
allata & per Mariam virginem, tanquam cana-
lam traductâ) præditum.

23. Propositionis fundamentum est certissimus à
proprietatibus præsertim essentialibus ad ipsas natu-
ras concludendas regressus, ac demonstratio tantum
non circularis.

24. Essentiales diximus vel generi vel speciei. Nec
enim inepta est Scholasticorum distinctio, quâ ajunt,
Christum assumpsisse proprietates & infirmitates non
quidem PERSONALES, quæ videlicet certis qui-
busdam personis, certis quibusdam fortè temporibus
peculiares sunt, ut sunt verbi gratia, lepra, cæcitas,
phtisis, febris, &c. SED NATURALES, h. e.
quæ vel constituunt vel saltem consequuntur totam
humanæ naturæ peccatricis speciem. Venit enim
Christus naturam humanam sine ullo personarum re-
spectu redimere.

25. Assumptio patebit inductione eorum quæ ho-
mini à primo itatim ortu, quin imò à prima concepti-
one per totius vitæ decursum, vel inesse, vel adesse
certis circumstantijs, affolent.

26. Ut autem brevitatis gratia eos scripturæ locos
mittamus, in quibus Christus semen Abrahamæ, semen
item mulieris, fructus item ventris David & lumbo-
rum ejus, benedictus denique fructus ventris foemini-
ni appellatur; in utero certè concipi dicitur Lucæ: 8.

B

vers,

vers. 20. factus ex muliere, Gal. 4. v. 4. & is quidem partu primogenito, Matth. 1. vers. 25. Idque non sic, quasi ex eius utero cum substantia carnis aliunde accepta prodierit, sed quia sit ex patribus secundum carnem, Rom. 9. v. 5. Atque ita tandem ceu maturus foetus iusta periodo in utero formatus, atque absolutus in lucem editur, pannis involvitur, & in praesepe reponitur, Luc. 2. v. 7.

27. Nec enim id tantopere praedictis obstiterit, quod scilicet non ex virili semine, sed ex muliebri tantum eoque virginali prognatus est Christus. Non enim id Christo homini quatenus est homo simpliciter comperit, sed quatenus est HIC HOMO, Iesus Christus videlicet, qui cum secundum divinitatem ἀμι-
των esset, secundum humanitatem ἀπάρτων esse debuit, ne secundum carnis concupiscentiam genitus, in peccato nasceretur is, qui nos à peccato peccatores emundaturus erat.

28. Quamobrem id ipsum ne tantillum quidem impediet quo minus verus homo, sit Christus, sed saltem ne nudus aut vulgaris homo, aut homo tantum existimetur, non, inquam, obstabit ne verus, sed ne merus homo conceptus aut natus esse censeatur. Is autem qui non homo tantum est, sed praeterea etiam aliud quid, is, inquam, quo minus verus homo sit ecquid prohibuerit?

29. Nec item quo minus ejusdem speciei cum nostra natura caro Christi sit, istud obstaculo fuerit, quod ἀναμαρτίτως conceptus, ἀναμαρτίως natus, educatus, adultus sit; siquidem peccatum non substantia est vel substantiale aliquod hominis principium (materiale puta vel formale) sed accidens; nec tamē accidens

per

per se, cuiusmodi sunt propria quædam $\pi\alpha\theta\eta$, quæ ut à
forma essentiali per emanationem dependent, ita cum
ea forma, à qua dependent, pari passu ambulant; sed
accidens plane per accidens, quo nec posito ponatur,
nec sublato tollatur (vel primò vel secundariò) $\acute{\upsilon}\pi\omicron\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\upsilon\sigma$
ejusce $\delta\epsilon\kappa\lambda\iota\kappa\omicron\upsilon\sigma$, ut quidem in disputatione de pec-
cato fusius apparebit.

30. Quid quod & edisse & bibisse; itemque esuri-
isse, Matth. 4. vers. 2. item cap. 21. vers. 18. Mar. 11.
vers. 12; sitivisse Ioh. 19. vers. 29; defatigatus fuisse
Ioh. 4. vers. 6, flevisse, Luc. 19. vers. 41. sudasse Lu-
22. vers. 44. crucifixus denique, mortuus & sepultus
esse dicitur? Quod item post resurrectionem suam
discipulis se videndum, manibusque contrectandum
exhibuit, inquit, videte & palpate quoniam Spiri-
tus carnem & ossa non habet, Luc. 24. v. 39.

31. In quibus omnibus ne ullus ambiguitati aut hi-
strionice imposturæ suspicioni locus relinqueretur,
eccum Prophetam dicentem: verè langvores nostros
ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Es. 53. v. 4.

32. Denique veritatis humanæ in Christo natutæ
certissimum & infallibile signum est sanguis ille, quæ
Christus pro nobis non simulate nec phantasticè, nec
putative aut illusoriè profectò, sed revera & quidem
 $\acute{\upsilon}\delta\omicron\mu\iota\tau\omicron\varsigma$ insigni copia in ara crucis effudit.

33. Et hæc quidem contra $\epsilon\pi\upsilon\theta\epsilon\iota\omicron\upsilon$ carnis CHRI-
S TI, & nostræ in prima classe primæ Sectariorum
aciei opposita sunt; Ex quibus non verum
B 2 tantum

tantum corpus, sed & veram quoque animam Christum habuisse constare poterat, cum praesertim pleraque tum vegetantis tum sentientis animae, vel potius corporis utraque facultate animati attributa sint ea, quae jam jam ex scripturis commemorata sunt.

34. Ne autem fortè cogitetur Christum assumpsisse solum corpus vivens, anima vegetante & sentiente duntaxat instructum, negata interim Christo rationali anima, sicut Apollinaris dictitabat divinitatē in illo corpore fuisse mentis sive τὸ ἡγεμονικὸν loco, ut ita τὸ ἔλογον μέρος sive materialis pars substantiae humanae Christo solummodo obtigisset, pars autem formalis & principalior anima scilicet defuisset; id ipsum sequens locus expediet.

LOCVS II.

Luc. 2. v. 52. 35. *Et Jesus proficiebat sapientia & aetate & gratia apud Deum & homines.*

Ioh. 5. v. 30. *Non quero voluntatem meam sed ejus qui misit me.*

Mat. 26. v. 39. *Non ut mea voluntas fiat, sed quod tu vis.*
Ibidem v. 38. *Tristis est anima mea usq; ad mortem.*

Luc. 10. v. 21. *Exultavit Spiritus.*
Luc. 23. v. 46. *Pater in manus tuas depono Spiritum meum.*

Mat. 27. v. 50. *Magna voce emisit Spiritum suum.*
36. Quibus in locis utraque facultas rationalis animae distinctè Christo assignatur, intellectus videlicet & deinde voluntas. Ex quibus ita concludimus,

In

In quo distinctè utraq; facultas rationalis animæ reperitur, in eo certè ipsa etiam rationalis anima, quippe cujus eæ facultates esse dicuntur, adsit oportet, cum facultates extra animam nusquam offendere, imò ne quidem satis apposite comminisci liceat.

Atqui vero in Christo utraq; pars seu facultas disertè obvia est.

Ergo & anima rationalis ipsa.

37. Major propositio, ut certissima ex sufficienti enumeratione partium sive facultatum extracta immotè persistit.

38. Assumptio primum quo ad intellectum; patet ex illo Lucae, in quo sapientiã, quæ quidem non nisi in vera mente locum habere potest, profecisse Christus asseritur. De voluntate porro clarè loquuntur, sequentia scripturæ sacrae testimonia. Ex quibus ita colligemus.

39. Si in Christo voluntas quædam est, non quidem adversa divinæ patris voluntati, vel averfa, sed tamen ab illa distincta, ea certè ad nullam aliam quam ad humanam ejusdemmet naturam attinebit.

Atqui esse quandam voluntatem ex dictis locis manifestissimum est. Ergo, &c.

40. Ratio consequentiæ in propositione deductione non eget, nisi fortasse quispiam velit, tertiam aliquam in Christo naturam de suo comminisci.

50. Certè secundum divinitatem, sicut una est essentia, ita unica etiam est voluntas Patris, Filij, & Sp. S. ut proinde isti *θεληματων επροπιου* in divina natura, quippe quæ filio cum Deo patre communis, & eadem intercedit, locus supersit nullus.

B 3

42. A 6

42. Assumptio ex dictis locis nimis est perspicua, neq; vel hilum profecerit, qui hic excipere volet non de facultate, sed ἐπερὶ τῆς ibidem verba fieri: cum saltem idipsum suffecerit, siquidem omnis ἐπέργεια δύνανται suam ἐπερὶ δόξαν prærequirat ac præsupponat.

43. Quocirca divinitas non fuit loco mentis aut voluntatis in humana Christi natura, sed habuit illa suam peculiarem ac propriam tum mentem tum voluntatem à Deitate diversam, tametsi non averfam, ut diximus.

44. Verum enimvero nec tristitia nec lætitia Spiritus divinitati propriè competit, quippe in quam nullum accidens cadere potest, nisi forte ἀνθρώπων ἕνεκα aut figuratè: Atqui hoc modo dicta illa accipienda esse, nullus adhuc ex verbo Dei obtinuit, quin potius propriissimè, ut verba sonant, intelligi ea oporteat.

45. Postremo denique animam vel Spiritum emittere, Deoque patri commendare nequit is, qui animam vel Spiritum non habet; nisi forte vel hoc tanquam non propriè dictum interpreteris; vel si divinitas loco animæ succedit, divinam Christum naturam expirasse blasphemare satagas. Quod utrumque à piis mentibus procul facessere debet.

LOCVS III.

Mal. 3. v. 6.
Num. 23. v. 19.
Zach. 12. v. 10
Ioh. 19. v. 37.

46. *Ego Dominus & non mutor.
Videbunt in quem transfixerunt.*

47. Quod interim ut nec ante, sic nec post resurrectionem, vel ascensionem ad cœlos, vel divinitas in humanitatem, vel hæc in illam ulla ratione mutata fit, de divina quidem natura, prius hunc in modum concludamus;

Deus

Deus quatenus Deus in divina videlicet natura sua nihil transmutationis admittit, quippe penes quem nulla est transmutatio.

Atqui Christus est verus ille Deus.

Nulli itaque cujuscunque saltem vel qualifcunque notæ mutationi ratione divinæ naturæ obnoxius erit.

48. Nec igitur divinitas in humanitatem converti, nec ex conversione quæ nulla præcesserit in unam naturam utraq; coalescere potuit.

49. Propositio ne ab ipsis quidem gentilibus, qui quidem saniores & *καρίεντες* fuerint, in dubium vocata apud Christianos meritò ex locis citatis extra controversiam esse jubetur.

50. Assumptionis probationem in præsentia non instituimus, quippe quam proxima disputatione abundè confirmatam huc transumere possumus.

51. Cæterum humanitatem Christi quod attinet, quod nec ista ne quidem post introitum in gloriam, ullam vel abolitionis vel absorptionis, vel annihilationis injuriam experta sit, id ex paulo ante citato Evangelistæ, Prophetæque loco ita inferimus.

Eadem numero humanitas, quam in his terris circumtulit *λόγος*, quæq; lancea militari transfixa fuit, eadem, inquam, in novissimo die ijs, à quibus transfossa est, intuenda exhibebitur.

Atqui vero illa vera fuit humanitas nulla ratione vel in divinitatem absorpta, vel ei exæquata, vel etiam ullatenus substantialiter immutata. Ergo, &c.

52. Propositio satis patet ex allegatis, *ἡ ἰσότης*, inquit Evangelista, *ὡς ὁ ἰξάντιστος*.

53. Af.

53. Assumptionem ne illi quidem ipsi, qui transfere, imò ne quidem jurati Filij Dei tum temporis hostes, nec ipsi denique Iudæi, quin in verum hominem deservitum sit, infitias ibunt.

59. Quamobrem sicut nec divinitatem in humanitatem, ita nec humanitatem in divinitatem abiisse hæc tenus ostensum relinquatur. Multo minus vero tertiam aliquam naturam ex utriusque commixtione prodijisse suspicandum fuerit, quandoquidem ad hoc ut tertium aliquod ex duobus inter se mixtis vel confusis oriatur; eorum, ex quibus conflare dicitur, mutationem prius factam exposcat, quam nec factam nec futuram esse, imò nec fieri posse aut potuisse paulo ante in præcedentibus obtentum fuit.

55. Huc ergo res omnis redit, ut summam concludamus utramque Christi naturam etiam post, unionem, imò verò etiam post resurrectionem atque ascensionem ad cælos salvam & incorruptam perpetuò remanere.

LOCVS IV.

56. Verum cum hac utriusque naturæ incorrupta veritate veram nihilominus unionem veram item personæ individuae ἐνώμια persistere ex sequentibus fiet manifestum.

Matt. 16. v. 13. & 17. 57. *Quem dicunt homines esse Filium hominis, &c, Respondet Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi.*

Joh. 9. v. 36. 37. 38.

Dixit Dominus cæco sanato seseque intuenti,

enti, tunc credis in Filium Dei? Respondet ille?
quis est, domine, ut credam in eum? dicit ei Je-
sus: Et vidisti eum, Et qui loquitur tecum i-
pse Et. at ille ait: credo domine, Et proci-
dens adoravit eum. Verbum caro factum est.

Ioh. 1. v. 14

53. Idem ille qui erat ὁ λόγος idem & non alter qui
pian caro vel homo fieri dicitur; vicissim idem qui
homo factus, & filius hominis jã tum erat, idēmet præ-
cisè filius Dei adstruitur. Ergo Filius Dei & Filius ho-
minis, ac proinde Deus & homo unus est Christus.

59. Unus omnino non conversione divinitatis in
carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: Per-
fectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali &
humana carne subsistens; qui licet Deus sit & homo,
non duo tamen, sed unus est Christus; unus omnino
non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam
sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus
& homo unus est Christus, sicut pia vetustas tum de-
votè cecinit, tum etiam rectissimè credidit.

60. Denique ut cum Apostolo concludamus,
Sic cognovissent, nunquã dominum gloria crucifixissent:
Desine ergo blasphemare Nestori, noli securus esse
Iudæe; nec enim hominem nudum, sed ipsum domi-
num gloria, imò ipsum cœli & terræ Dominum cru-
cifixisti.

1. Cor. 2. v. 8.

61. Porro autem ipsam sanctissimam unionē quod
attinet, ea verius quid non sit, quam quid vel qualis
sit habemus dicere; nisi hoc fortassis excipere lubeat,
quod personale esse dicimus, non autem vel substan-
tiale vel accidentale; non ἡπόσιν aut mixtionem,
non

non denique aliud quippiam eorum omnium, quæ-
cunque tandem humanæ Philosophiæ tam primæ
quàm secundæ dictamen suggerere poterit.

Lomb. lib. 3.
dist. 5. art. 4.
& D. 2. art. 3.

62. Nec vero prius conceptam quam assumptam à
Christo humanitatem statuimus, quin potius, sicut
sobriè de anima hominis rationali censeatur, eam cre-
ando infundi, & infundendo creari; ita non præpo-
sterè judicabimus, qui carnem τὸ λόγῳ assumendo
conceptam & concipiendo assumptam, vel (ut Lom-
bardus minus bardè determinat) uniendo acceptam,
& accipiendo unitam simul & semel fuisse pie dici-
mus, pie credimus, pieque cogitamus.

63. Quod quidem simile à nobis allatum eò tem-
pestivius erit, quò libentius ac familiarius similitudi-
ne animæ & corporis in hoc sublimi mysterio quali-
tercunque adumbrando Orthodoxi patres utuntur.

64. Tametsi autem non negemus Christi humani-
tatem suam habere à persona τὸ λόγῳ, ac in ea subsis-
tentiam; an tamen in illa subsistentiæ communica-
tione ipsa hypostaticæ unionis formalis ratio &
quidem plenè consistat, nec dum ita liquidò patuit;
siquidem augustior illa ἐνωσις esse videtur quam ut
hoc modo ipsius τὸ τί ἦν εἶναι enunciari se ab adversariis
ac enarrari patiatur, quippe in cuius gloriam vel ipsis
angelis non nisi παρακύψου conceditur, quamque recti-
us adorare quam perorare mortales possumus.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

*Argumentum I. contra I. classem,
vel Hæresin.*

65. Si Christus verus homo natus non fuit, nun-
quid

quid ergo nec verè passus, nec verè crucifixus, sed tantum histrionice quasi trahi affixus? nunquid ergo non verè sed illusorie resurrexit? nunquid non verè, sed putative ascendit ad cœlos? nunquid ergo non verè sed putative redempti sumus? nunquid etiam non verè sed putative saltem salvabimur? nunquid denique Apostolus non ad veram, sed ad fictam & Philip. 2. pro tempore simulatam pietatem nos adhortabitur? blasphemia omnia, sed tamen ex Docetarum hypothesi certissime consecutura.

Arg. II. contra classem II.

66. Si solam carnem & non animam quoque nostram rationalem assumpsit Filius Dei; nunquid ergo non animam sed corpus solum Filius Dei nativitate, passionis, mortisque suæ pro merito liberandum & salvandum suscepit? miserum profectò & in universam nostri ἀπολύτρωσις à Christo factam contumeliosissimum πρέτισμα.

67. Quod tamen utinam non ita certò in ipsos auctores hujus blasphemiae summa cum illorum æternæ damnationis jactura redundaret, quam certò id ex illorum hæresi concluditur; τὸ ἔξ ἀπόστολικῶν ἀθεράπευτων, testante id universa, una cum ipso Nazianzeno, anti-quitate.

Arg. III. contra classem III.

68. Si divinitas Christi in humanitatem conversa aut humanitas in Deitatem absorpta fuisset, nunquid ergo nec veram Deitatem nec humanitatem ullam amplius obtineret, ac proinde nec Deus nec homo esset, Dei pariter atque hominis Filius Iesus Christus? Maranatha.

69. Consequentia ratio est ista; sicut enim animal corruptum, animal non est, nec homo mortuus, homo, nec aqua in aërem vel vinum mutata, aqua est amplius: ita nec Deitas in humanitatem conversa, nec humanitas in divinitatem absorpta, humanitas dicenda foret: nisi fortè perpetuum equivocationis lusum Spiritui sancto in scripturis propositum fuisse impie velimus suspicari.

Arg. IV. contra classem IV.

70. Si denique non una est & indivisa utriusque naturæ in Christo hypostasis, nunquid ergo non unus erit mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus?

1. Tim. 2. v. 5.

71. Certè tantas impietates vel recitasse, refutasse erit. Quamobrem in ijs. operose convellendis multum laborare, præsertim apud pios & fideles Christianos operæ pretium minime futurum arbitramur.

COROLLARIA.

1. Utrum Calviniani etiam statuunt, vel saltem doctrinæ suæ satis convenienter statuere possint Christum pro omnibus humanæ speciei individuis incarnatum ac hominem factum esse?

2. An B. Virgo ^{θεοτόκος} ab omni labe immunis vixerit; adeo, ut peccato Adami **NULLATENUS** infecta fuerit? quemadmodum ineptissime quidem cum cæteris, præ cæteris tamen audacter fabu-

latus est Pererius lib. 5. com. in Daniele pag. 322.

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe contra Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatio 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuius ob caus Turca Christianis immittat. 4. Cuius ratione sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista gentes sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dis. de reali communiōne idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.


Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictis Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.

manu qui erant in
cuius manu...
in regno regni...
ad dicitur...
sicut omni erant
sicut...
ad...
nabuch...
et...
vobis...
et...
audient...
et...
huc et...
vne et...
sicut...
dicitur...
nabuch...
quis...
sicut...
sicut...
sicut...



D. O. M. A.
 T H E S E S
DE INCARNATIONE FILII DEI.
 MODERATORE
 REVERENDO & CLARISSIMO VIRO, DN. IOHANNE GEORGIO
Volckmaro S. S. Theologiae Doctore,
ac Professore Publico
 CONTRA CHRISTOMACHOS
 Ad Disputationem decimam in Collegio studiosorum
 Theologiae privato propositae
 à
 IOHANNE RODENBURGIO
Antuuerpiano,
 RESPONDENTE
 M. ENGELBERTO ENGELS
Marcodurano.
 XIII. Decembris, Anni cl. Is. VC.
 W I T E B E R G Æ
 Literis Wolfgangi Meisneri.

